Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De officiis - Cod. Aug. pap. 30

Cicero, Marcus Tullius

[Reichenau], 1466-1467

Paradoxa

urn:nbn:de:bsz:31-91023

Visual Library

Animaduerti brute sepe catonem auunculum tuum cum in senatu sententiam diceret locos graues ex philosophia tractare abhorrentes ab hoc usu forensi et publico sed dicendo consequi tamen ut illa etiam populo probabilia viderentur. quod eo maius est illi quam aut tibi aut nobis quia nos ea philosophia plus utimur que peperit dicendi copiam et in qua dicuntur ea que non multum discrepent ab opinione populari. Cato autem perfectus mea sententia stoicus et ea sentit que non sane probantur in vulgus et in ea est heresi que nullum sequitur florem orationis neque dilatat argumentum minutis interrogatiunculis quasi punctis quod proposuit efficit. Sed nil est tam incredibile quod non dicendo fiat probabile. Nil tam horridum tam incultum quod non splendescat oratione et tanquam excolatur. Quod cum ita putarem feci etiam audacius quam ille ipse de quo loquor. Cato enim dumtaxat de magnitudine animi de continentia de morte de omni laude virtutis de diis immortalibus de caritate patrie stoice solet oratoriis ornamentis adhibitis dicere. Ego tibi illa ipsa que vix in gymnasiis et in ocio stoici probant ludens conieci in communes locos. que quia sunt admirabilia contraque opinionem omnium ab ipsis etiam paradoxa appellantur temptare volui possentne proferri in lucem id est in foro et ita dici ut probarentur. An alia esset erudita alia popularis oratio. eoque hos locos scripsi libentius quod mihi ista paradoxa que appellant maxime videntur esse socratica longeque verissima. Accipies igitur hoc paruum opusculum lucubratum his iam contractioribus noctibus quoniam illud maiorum vigiliarum munus in tuo nomine apparuit et degustabis genus exercitationum earum quibus uti consueui cum ea que dicuntur in scolis

Gimnasia ludus

Paradoxa a. ...

possem ut ad hoc genus orationis transfero dicendi genus
Hoc tamen opus in acceptum ut referas nihil postulo. Non
enim est tale ut in arce poni possit quasi minerva illa fidie.
Sed tamen ut ex eadem officina exisse appareat. Primum

Paradoxum: Quod honestum sit id solum bonum esse.

Vereor ne cui vestrum ista stoicorum hominum disputationibus non
communi sensu deprompta haec videatur oratio. Dicam quidem
sentio tamen et dicam brevius quam res tanta dici possit. Numquam
mehercule ego neque pecunias istorum neque tecta magnifica
neque opes neque imperia neque ea quibus maxime astricti
sunt voluptates in bonis rebus aut expetendis esse
duxi quippe cum viderem rebus his circumfluentes et
tamen maxime desiderare quibus abundarent. Neque enim
umquam expletur neque satiatur cupiditatis sitis neque
solum ea quae habent libidine augendi cruciantur sed etiam
amittendi metu. In quo equidem continentissimorum hominum ma-
iorum nostrorum saepe requiro prudentiam qui haec imbecillia et
commutabilia pecuniae membra verbo bona putaverunt
appellanda cum re aut factis longe aliter iudicavissent. Potest-
ne bonum cuiquam malo esse aut potest quisquam in abun-
dantia bonorum ipse esse non bonus. Atqui omnia ista talia vi-
demus ut etiam improbi habeant et obsint probis. Quam ob rem
licet irrideat si quis vult plus apud me tamen vera ratio va-
lebit quam vulgi opinio. Neque ego umquam bona perdidisse
dicam si quis pecus aut supellectilem amiserit. Nec non saepe
laudabo sapientem illum Biantem ut opinor qui numeratur in sep-
tem cuius cum patriam Prienam cepisset hostis ceterique ita fuge-
rent ut multa de suis rebus asportarent. Cum esset admo-
nitus a quodam ut idem ipse faceret. Ego vero inquit facio. Nam
omnia mea porto mecum. Ille haec ludibria fortunae ne
sua quidem putavit. Quae nos etiam appellamus bona

Divicie pecunie imperia etc. non sunt bona appetenda contra epicureos

H

Alias …

Que est igitur? Lucret aliquod bonum? Si quid recte fit et honeste et ad virtutem, id bene fieri vere dicitur; quod rectum et honestum et ad virtutem est, id solum opinor bonum. Sed hec videri possunt odiosiora cum lentius disputantur. Vita atque factis illustrata sunt summorum virorum hec que verbis subtilius quam satis est disputari videntur. Quero enim a vobis num ullam cogitationem habuisse videantur hii qui hanc rem publicam tam preclare fundatam nobis reliquerunt aut argenti ad avaritiam aut amenitatum ad delectationem aut suppellectilis ad delicias aut epularum ad voluptates. Ponite ante oculos unumquemque regum. Vultis a Romulo, vultis post liberam civitatem ab hiis ipsis qui liberaverunt. Quibus tandem Romulus gradibus ascendit in celum? Hiisne que isti bona appellant, an rebus gestis atque virtutibus? Quid a Numa Pompilio minusne gratas diis immortalibus capudines ac fictiles urnulas fuisse quam delicatas aliorum pateras arbitramur?

Omitto reliquos; sunt enim omnes pares inter se preter superbum. Brutum si quis roget quid egerit in patria liberanda, si quis item reliquos eiusdem consilii socios quid spectaverint, quid secuti sint, num quis existet cui voluptas, cui divitie, cui denique preter officium fortis et magni viri quicquam aliud propositum fuisse videatur? Que res ad necem Porsenne C. Mucium compulit sine ulla spe salutis sue? Que vis Coclitem contra omnes hostium copias tenuit in ponte solum? Que patrem Decium, que filium devotavit atque immisit in armatas hostium copias? Quid continentia C. Fabricii, quid tenuitas victus Manii Curii sequebatur? Quid duo propugnacula belli punici, Cn. et P. Scipiones, qui Carthaginiensium adventum corporibus suis intercludendum putaverunt? Quid Africanus maior, quid minor, quid inter horum etates interiectus Cato, quid innumerabiles alii?

nam domesticis exemplis habundamus togatis quesoque quam
in vita sibi esse expetendum id quod laudabile esset et pre-
clarum videtur. Veniat igitur si audet in medium huius orationis
ac sententie etiam tu ipse iudicent utrum se horum alicui
qui in marmoreis tectis ebore et auro fulgentibus qui
signis qui tabulis qui celato auro et argento qui corinthiis
operibus habundant an C. fabricio qui nichil eorum habuit nichil
habere voluit se similes malint. Atque hec quidem
que huc et illuc transferuntur facile adduci solent
ut in bonis rebus esse negent illud arte tenent accu-
rateque defendunt voluptatem esse summum bonum. Que quidem
michi vox pecudum videtur esse non hominum. Tu cum tibi sive deus
sive mater ut ita dicam rerum omnium natura dederit animum
quo nichil est prestantius neque divinius sic te ipse abicies atque
prosternes ut nichil inter te et inter quadrupedem aliquid pu-
tes interesse. Quicquam bonum est quod eum qui id possidet non
meliorem facit. Ut enim est quisque maxime boni particeps
ita et laudabilis maxime. Neque est ullum bonum de quo non
is qui id habeat honeste possit gloriari. Quid autem est horum
in voluptate. Meliorem ne efficit aut laudabiliorem
virum. An quisquam in potiendis voluptatibus gloriando se
et predicatione effert. Atqui si voluptas que plurimorum
patrociniis defenditur in rebus bonis habenda non est eaque
quo est maior eo magis mentem ex sua sede et statu demovet
profecto nichil est aliud bene et beate vivere nisi honeste et
recte vivere. Secundum paradoxum

Quod in quo virtus sit ei nichil desse ad beate vivendum. Nec vero
ego M. regulum erumnosum nec infelicem nec miserum un-
quam putavi. Non enim magnitudo animi cruciabatur eius
a penis non gravitas non fides non constantia non ulla
virtus non denique animus ipse qui tot virtutum presidio tan-
toque comitatu cum corpus eius caperetur capi certe ipse [non potuit]

M. Regulus consul a penis captus erat [illegible] carthaginenses [illegible] regulus [illegible] carthaginenses [illegible] [illegible]

non potuit. C. vero marium vidimus qui mihi secundis rebus
unus ex fortunatis hominibus adversis unus ex summis
viris videbatur quo beatius esse mortali nihil potest.
Nescis insane nescis quantas vires virtus habeat. Nomen
tantum virtutis usurpas. quid ipsa valeat ignoras. Nemo
potest non beatissimus esse qui est totus aptus ex sese quique in
se uno sua ponit omnia. Cui spes omnis et ratio et cogi
tatio pendet ex fortuna huic nihil potest esse certi nihil quod ex
ploratum habeat permansurum sibi unum diem. Eum tu ho
minem terreto si quem eris nactus istis mortis aut exilii mi
nis. Mihi vero quicquid acciderit in tam ingrata civitate ne
recusanti quidem evenerit non modo non repugnanti. Quid enim
ego laboravi aut quid egi aut in quo vigilarunt curae et cogi
tationes meae. si quidem nihil peperi tale nihil consecutus sum
ut eo statu essem quem neque fortunae temeritas neque
inimicorum labefactaret iniuria. Mortemne mihi mini
taris ut omnino ab hominibus an exilium ut ab improbis
demigrandum sit. Mors terribilis iis quorum cum vita omnia
extinguuntur. non iis quorum laus emori non potest. Exi
lium autem illis quibus quasi circumscriptus est habitandi lo
cus non iis qui omnem orbem terrarum unam urbem esse ducunt.
Te miseriae te aerumnae premunt omnes qui te beatum qui
florentem putas. tuae libidines torquent tu dies noc
tesque cruciaris. cui nec sat est quod est et id ipsum ne non diu
turnum sit futurum times. te conscientiae stimulant ma
leficiorum tuorum te metus exanimant iudiciorum atque le
gum quocumque respexisti. Ut furiae sic tuae tibi occurrunt
iniuriae quae te suspirare non sinunt. Quam ob rem ut im
probo et stulto et inerti nemini bene esse potest. sic bonus
vir et sapiens et fortis miser esse nemo potest. Nec

evigilaverat

Mors

vero turpis etiam moretur; laudandi sunt ei signo laudanda
vita est; quae si ita est, fugienda vita est quae laudanda non est;
aut fugienda sit esset misera; quamobrem quidquid est laudabile,
idem et beatum et florens et expetendum videri debet.

Tertium paradoxum

Parva inquit est res at magna culpa; nec enim peccata rerum even-
tu sed vitiis hominum metienda sunt; in quo peccatur id potest esse
aliud alio maius aut minus; ipsum quidem illud pecca-
re quoquo te verteris unum est; auri navem evertat guber-
nator an paleae in re aliquantum, in gubernatoris inscitia
nihil interest. Lapsa est libido in muliere ignota: dolor
ad pauciores pertinet quam si petulans fuisset in aliqua
generosa ac nobili virgine; peccavit vero nihilo minus; siquidem est
peccare tamquam transire lineas; quod cum feceris culpa commissa
est; quam longe progrediare cum semel transieris, ad au-
gendam transeundi culpam nihil pertinet. Peccare certe licet
nemini. Quod autem non licet, id hoc uno tenetur, si arguitur
non licere; id si nec maius nec minus umquam fieri potest, quoniam
in eo est peccatum si non licuit, quod semper unum et idem est,
quae ex eo peccata nascantur aequalia sint oportet. Quodsi
virtutes sunt pares inter se, paria esse etiam vitia necesse est.
Atqui pares esse virtutes, nec bono viro meliorem nec tem-
perante temperantiorem nec forti fortiorem nec sapiente sapi-
entiorem posse fieri, facillime potest perspici. An virum bonum
dices, qui depositum nullo teste, cum lucrari impune posset,
auri pondo decem reddiderit, si idem in decem milibus pondo
auri non idem fecerit? Aut temperantem, qui se in aliqua
libidine continuerit, in aliqua effuderit? Una virtus
est consentiens cum ratione et perpetua constantia; nihil
addi huic potest quo magis virtus sit; nihil demi ut virtus

non derelinquat. Etenim si bene facta recte facta sunt et nihil
recto rectius certe ne bono quidem melius quicquam inveniri potest.
Sequitur etiam igitur ut etiam vitia sint paria si quidem pra-
vitates animi recte vitia dicuntur. Atque quoniam pares vir-
tutes sunt recte facta quando a virtutibus proficiscuntur paria
esse debent itaque peccata quoniam ex vitiis manant sint equa-
lia necesse est. A philosophis inquit ista sumis. Metuebam ne a leno-
nibus diceres. Socrates disputabat isto modo. Bene hercle
narras. Nam istum doctum virum et sapientem fuisse memoria
traditum est. Sed tamen quero ex te quoniam verbis inter nos conten-
dimus non pugnis. Utrum de bonis quid est quod baiuli
atque operarii an quod homines doctissimi senserint querendum sit
cum hac sententia non modo verior sed ne utilior quidem
hominum vite reperiri ulla possit. Que vis est que magis
arceat homines ab improbitate omni quam si senserint nul-
lum in delictis esse discrimen eque peccare se si privatis ac
si magistratibus manus afferant quamcumque in domum stu-
prum intulerint eandem labem esse libidinis. Nihilne igitur
interest. Nam hoc dicet aliquis patrem quis necet an
servum. Nuda ista si ponas iudicari qualia sint non
facile possint. Patrem vita privare si per se scelus est Sa-
guntini qui parentes suos liberos emori quam servos
vivere maluerunt parricide fuerunt. Ergo et parenti non-
numquam adimi vita sine scelere potest et servo sepe sine
iniuria non potest. Causa igitur hec non natura distinguit.
Que quando utro accessit id fit propensius si utroque adiuncta
paria fiant necesse est. Illud tamen interest quod in servo necando
si adsit iniuria semel peccatur in patris vita violanda
multa peccantur. Violatur is qui procreavit is qui
aluit is qui erudivit is qui in sede ac domo atque in rebus

Epicureis

baiulare i. portare [uncertain]

Saguntini ... Valerius tangit [uncertain]

tolleravit multitudine peccatorum prestat eo pena maiore
dignus est. Sed non in vita non quamvis peccato pena sit
si quidquid non liceat peccare debemus. Quod non oportet
scelus est quod non licet ne fas peccare dicimus. Etiam ne
in minimis rebus. Etiam si quidem rerum omnium fines non
possimus animo ad modum tenere possimus. Histrio
si paulum se movit extra numerum aut si versus pronun-
ciatus est sillaba una brevior aut longior exsibilatur
exploditur. In vita tu que omni moderatione modestior
omni versu aptior debet esse ut in sillaba te peccasse di-
ces. Poetam non audio in nugis in vite societate audiam
civitatem digitis peccata demetiente sua. Si visa sint bre-
viora leviora que possint videri. Cum quidquid peccatur
perturbatione peccetur rationis atque ordinis perturbata
aut semel ratione et ordine nihil posset addi quo ma-
gis peccare posse videatur Quia
Omnis stultus insanit. Ego vero te o Anthoni non stul-
tum ut sepe non improbum ut semper sed dementem in rebus
addicam necessariis. Sapientis animus magnitudine consilii
tollerancia rerum humanarum contemptione fortune vir-
tutibus denique omnibus ut menibus septus vincetur et ex-
pugnabitur qui ne civitate quidem pelli potest. Que enim
civitas. Omnisne conventus etiam ferorum et immanium
omnisne etiam fugitivorum ac latronum congregata unum
in locum multitudo. Certe negabis. Non igitur illa erat tunc
civitas tunc leges in ea nil valebant cum iudicia iacebant
cum mos patrius occiderat cum ferro pulsis magistratibus
senatus nomen in re publica non erat. Predonum ille concursus
et te duce latrocinium in foro constitutum et reliquie coniura-
tionis a Catiline furiis ad tuum scelus furorem que conversae.

non civitas erat. Itaque pulsus ego civitate non sum, que
nulla erat; at restitutus in civitate sum. Cum esset in re p.
consul qui nullus fuerat, esset senatus qui occiderat,
esset consensus populi liberi et equitatis. Hec vincla
sunt civitatis repetita memoria. Ac vide quam istius
latrocinii tela contempserim. Iactam et a te immissam
nepharia(m) in me iniuria(m) semper duxi, pervenisse ad me
numquam putavi, nisi tum forte cum parietes disturba-
bas aut cum tectis sceleratas faces inferebas, meorum
aliquid ruere aut deflagrare arbitrabare. Nichil neque
meum est neque cuiusquam quod aut ferri aut eripi quod amitti
potest. Sed si mihi eripuisses divinam animi mei constan-
tiam, meas curas, vigilias, consilia, si huius eterni
beneficii immortalem memoriam delevisses, multo etiam
magis si illam mentem unde hec consilia manarunt
mihi eripuisses, tum ego accepisse me confiterer in-
iuriam. Sed si hec nec fecisti nec facere potuisti, reditum
mihi gloriosum iniuria tua dedit, non exitum calami-
tosum. Ergo ego semper civis et tum maxime cum meam
salutem senatus exteris nationibus ut civis optimi
commendabat. Tu ne nunc quidem, nisi forte idem ho-
stis esse et civis potes. An tu civem ab hoste natura
ac loco, non animo factisque distinguis? Cedem in
foro fecisti, armatis latronibus templa tenuisti,
privatorum domos, edes sacras incendisti. Cur ho-
stis Spartacus si tu civis? Potes autem esse tu civis
propter quem aliquando civitas non fuit? Et me tuo nomine appellas,
cum omnes meo discessu exulasse rem p. putent? Numquam,
quando, homo amentissime, te circumspicies? Numquam
nec quid facias considerabis nec quid loquare? Nescis

liber

exilium scelerum esse penam. Meum illud iter ad pulcherrimas res ante gestas esse susceptum. Omnes scelerati atque impii quorum te ducem esse profiteris quos leges exilio affici volunt exules sunt etiam si solum non mutarunt. An cum omnes te leges exulem esse iubeant non appellere inimicus qui cum telo fuerit. Ante senatum tua sica deprehensa est. Qui hominem occiderit plurimos occidisti. Qui incendium fecerit edes nympharum manu tua deflagravit. Qui templa occupaverit in foro castra posuisti. Sed quid ego communes leges profero quibus omnibus es exul. Familiarissimus tuus de te privilegium tulit ut si in opertum bone dee accessisses exulares. At id te fecisse etiam gloriari soles. Quomodo igitur tot legibus eiectus in exilium nomen exulis non perhorrescis. Rome sum inquis. Et quidem in operto fuisti. Non igitur ubi quisque erit eius loci ius tenebit si ibi eum legibus esse non oportebit.

Laudetur vero hic imperator aut etiam appelletur aut hoc nomine dignus putetur imperator quomodo aut cui tandem hic libero imperabit qui non potest cupiditatibus suis imperare. 5 Refrenet primum libidines spernat voluptates iracundiam teneat coerceat avariciam ceteras animi labes repellat. Tum incipiat aliis imperare cum ipse improbissimis dominis dedecori ac turpitudini parere desierit. Dum quidem iis obediet non modo imperator sed liber habendus omnino non erit. Preclare enim est hoc usurpatum a doctissimis quorum ego auctoritate non uterer si mihi apud aliquos agrestes hec habenda esset oratio. Cum vero apud prudentissimos

loquor quibus inaudita non sint. An ergo si inuide me
sciam nihil his studiis opere posuerim perdidisse. Dic-
tum est igitur ab eruditissimis viris nisi sapientem
liberum esse neminem. Quid est enim libertas? Potestas vi- — De libertate
uendi ut velis. Quis ergo viuit ut vult nisi qui recta
sequitur et gaudet officio, cui viuendi via considerata
atque prouisa est, qui ne legibus quidem propter metum paret
sed eas sequitur et colit quod id salutare esse maxime iudicat,
qui nil dicit nil facit nil cogitat denique nisi libenter
ac libere, cuius omnia consilia resque quas gerit ab ipso
proficiscuntur eodemque referuntur, nec est ulla res que plus apud
eum polleat quam ipsius voluntas atque iudicium, cui quidem etiam que vim habere maximam dicitur, fortuna
ipsa cedit, sicut sapiens poeta dixit: Suis ea cuique
fingitur moribus. Soli igitur hoc contingit sapienti, ut
nil faciat inuitus, nil dolens, nil coactus. Quod etsi ita
esse pluribus verbis disserendum est, illud tamen breue
et confitendum est, nisi qui ita sit affectus esse liberum
neminem. Serui igitur omnes improbi serui. Nec hoc tam re
est quam dictu inopinatum atque mirabile. Non enim ita
dicunt eos esse seruos ut mancipia que sunt dominorum
facta nexo aut aliquo iure ciuili. Sed si seruitus sit, sicut
est, obediencia fracti animi atque abiecti et arbitrio
carentis suo, quis neget omnes leues, omnes cupidos,
omnes denique improbos esse seruos? An ille mihi
liber cui mulier imperat, cui leges imponit, prescribit,
iubet, vetat quod videtur? Qui nihil imperanti negare
potest, nil recusare audet? Poscit, dandum est; vocat, ve-
niendum; eicit, abeundum; minatur, extimescendum. Ego
vero istum non modo seruum, sed nequissimum seruum, etiam si in amplissima fa-

in familia natus sit appellandum putet? Atque ut in magna fami-
lia stultorum sunt alii lautiores ut sibi videntur servi, sed
tamen servi atrienses ac topiarii, pari stultitia sunt quos signa, quos
tabulae, quos caelatum argentum, quos Corinthia opera, quos aedi-
ficia magnifica nimio opere delectant. At sumus inquit — et estimus inquit principes civitatis [illegible]
principes civitatis. Vos vero ne conservorum quidem
vestrorum principes estis. Sed ut in familia qui tractant ista,
qui tergunt, qui ungunt, qui verrunt, qui spargunt, non hone-
stissimum locum servitutis tenent, sic in civitate qui se ista-
rum rerum cupiditatibus dediderunt ipsius servitutis locum pae-
ne infimum obtinent. Magna inquit bella gessi, magnis
imperiis et provinciis praefui. Gere igitur animum laude dignum.
Aetionis tabula te stupidum detinet, aut signum aliquod
Polycleti. Mitto unde sustuleris et quomodo habeas; intuen-
tem te, admirantem, clamores tollentem cum video, ser-
vum te esse ineptiarum omnium iudico. Nonne igitur ista sunt
festiva? Sunt. Nam nos quidem oculos eruditos ha-
bemus. Sed obsecro te, ita venusta habeantur ista, non ut
vincula virorum sint, sed ut oblectamenta puerorum. Quid
enim censes? Si L. Mummius aliquem istorum videret matel-
lionem Corinthium cupidissime tractantem, cum ipse totam
Corinthum contempsisset, utrum illum civem excellentem
an atriensem diligentem putaret? Reviviscat M'. Cu-
rius aut eorum aliquis quorum in villa ac domo nihil splen-
didum, nihil ornatum fuit praeter ipsos, et videat
aliquem summis populi beneficiis usum barbatulos mul-
los exceptantem de piscina et pertractantem et mure-
narum copia gloriantem. Nonne hunc hominem ita servum
iudicet ut ne in familia quidem dignum maiore aliquo
negotio putet? An eorum servitus dubia est qui cupi-

[illegible]

[illegible]

ditate petitur nulla condicione recusat durissime
servitutis. Hereditatis spes quid iniquitatis in serviendo
non suscipit. Quem nutum locupletis orbi senis non ob-
servat. loquitur ad voluntatem quicquid denunciatum sit facit assectatur
assidet muneratur. Quid horum est liberi. Quid denique servi
non inertis. Quid iam illa cupiditas que videtur esse libe-
ralior. honoris imperii provinciarum quam dura est domina
quam imperiosa quam vehemens. Cethego homini non
probatissimo servire coegit eos qui sibi amplissimi vi-
debantur. Munera mittere noctu venire domum ad eum
precari denique supplicare. Que servitus est. si hec libertas
existimari potest. Quid cum cupiditatis dominatus excessit
et alius est dominus exortus ex conscientia peccatorum timor.
quam est illa misera quam dura servitus. Adolescentibus
paulo loquacioribus est serviendum. Omnes qui aliquid scire
videntur tamquam domini timentur. Iudex vero quantum habet
dominatum quo timore nocentes afficit. an non omnis
metus servitus. Quid valet igitur illa eloquentissimi viri
L. Crassi copiosa magis quam sapiens oratio. Eripite nos
ex servitute. Que est ista servitus tam claro homini tamque
nobili. Omnis animi debilitati et humilis et fracti
timiditas servitus est. Nolite sinere nos cuiquam servire.
in libertatem vindicari vult. minime. Quid enim adiungit.
Nisi vobis universis. Dominum mutare non liber esse vult.
Quibus possumus et debemus. Nos vero si quidem animo
excelso et alto et virtutibus exaggerato sumus nec de-
bemus nec possumus. Tu posse te dicito quoniam quidem potes
debere ne dixeris quoniam nichil quisquam debet nisi quod est turpe non
reddere. Sed hec hactenus. ille videat quomodo imperator esse
possit cum eum ne liberum quidem esse ratio et veritas ipsa

Quod solus sapiens dives sit

continuat

Que ista in commemoranda pecunia tua tam insolens
ostentatio? Solusne tu dives? Pro dii immortales! ego me
me audisse aliquid et didicisse non gaudeam? Solusne dives?
Quid si ne dives quidem? Quid si pauper etiam? Quem enim intel-
ligimus divitem? aut hoc verbum in quo homine ponimus?
Opinor in eo cui tanta possessio sit ut ad liberaliter viven-
dum facile contentus sit, qui nihil querat, nihil appetat, nihil
optet amplius. Animus oportet tuus se iudicet divi-
tem, non hominum sermo neque possessiones tue. Nihil sibi de-
esse putet, nihil curet amplius; saciatus est aut contentus
etiam pecunia; concedo, dives es. Sin autem propter avidi-
tatem pecunie nullum questum turpem putas, cum isti ordi-
ni ne honestus quidem possit esse ullus, si cottidie fraudas,
decipis, poscis, pacisceris, aufers, eripis, si socios spo-
lias, erarium expilas, si testamenta amicorum expectas
aut ne expectas quidem atque ipse supponis, hec utrum habundantis an egen-
tis signa sunt? Animus hominis dives, non archa appel-
lari solet. Quamvis illa sit plena, dum te inanem videbo, di-
vitem non putabo. Etenim ex eo quantum cuique satis est me-
tiuntur homines divitiarum modum. Filiam quis habet, pecunia
est opus; duas, maiore; plures, maiore etiam; si, ut
aiunt Danao, quinquaginta sint filie, tot dotes magnam
querunt pecuniam. Quantum enim cuique opus est, ad id accommo-
datur, ut ante dixi, divitiarum modus. Qui igitur non filias
plures, sed innumerabiles cupiditates habet, que brevi tem-
pore maximas copias exhaurire possint, hunc ego
quomodo appellabo divitem, cum ipse egere se sentiat? Multi
ex te audierunt, cum diceres neminem esse divitem, nisi qui exerci-
tum alere posset suis fructibus; quod populus Romanus tantis vectiga-

libri iam pridem vix possunt. Ego hoc profiteor quidem in meis di-
vitiis. Ante quam tuis possessionibus tantum reficiatur ut tueri
sex legiones et magna equitum ac peditum auxilia possis.
Iam fateris ergo non esse te divitem cui tantum desit ut ex-
pleas id quod exoptas. Itaque istam paupertatem vel potius ege-
statem ac mendicitatem tuam numquam obscure tulisti. Nam
ut eos qui honeste rem querunt mercaturis faciendis ope-
ris dandis publicis sumendis intelligimus opus esse quesito
sic qui videt domi tue pariter accusatorum atque indicum
consensus greges qui nocentes et pecuniosos reos eodem
te auctore corruptelam iudicii molientes qui tuas mer-
cedum pactiones in patrociniis intercessiones pecuniarum
in coitionibus candidatorum dimissiones libertorum ad
fenerandas diripiendasque provincias qui expulsiones
vicinorum qui latrocinia in agris qui cum servis cum libertis
cum clientibus societates qui possessiones vacuas qui
proscriptiones locupletium qui cedes municipiorum qui illam
Sillani temporis messem recordetur qui testamenta sub-
iecta qui sublatos homines qui denique omnia venalia dilectum
decretum alienam suam sententiam forum domum vocem silentium
quis hunc non putet confiteri sibi quesito opus esse. Cui-
que autem opus sit quis umquam vere hunc dixerit divi-
tem. Etenim divitiarum est fructus in copia. Copiam
autem declarat satietas rerum atque habundantia. Quam tu
quoniam numquam assequere numquam omnino es dives futurus.
Meam autem quoniam pecuniam contemnis et recte. Est enim ad vul-
gi opinionem mediocris ad tuam nulla ad meam modica.
De me silebo de re loquar. Si censenda nobis sit atque
estimanda res utrum tandem pluris estimemus pecuniam
Pirri quam Fabricio dabat an continentiam Fabricii qui

illa pecuniae repudiabat. Utrum aurum Samnitum. An
responsum M'. Curii hereditatem L. Pauli. An liberali te-
statem Q. eius hereditatis que maxima sua parte sua
concessit. Hec profecto que sunt summarum virtutum pluris esti-
manda sunt quam illa que sunt pecunie. Quis igitur siquidem
ut quisque quod plurimi sit possideat ita ditissimus ha-
bendus sit dubitet quin in virtute divitie sint. Quoniam
nulla possessio nulla vis auri et argenti pluris quam
virtus estimanda est. O di immortales non intelligunt
homines quam magnum vectigal sit parsimonia. Venio e-
nim iam ad sumptuosos relinquo istum questuosum.
Capit ille ex suis prediis sexcenta sestertia ego centena
ex meis. Illa aurata tecta in villis et sola marmorea
facienti et signa tabulas supellectilem et vestem infini-
te concupiscenti non modo ad fructum ille est sumptus set
etiam ad fenus exiguus. Ex meo tenui vectigali detrac-
tis sumptibus cupiditatis aliquid etiam redundabit.
Uter est igitur divitior cui deest an cui superat. qui eget
an qui habundat. Cuius possessio quo est maior eo plus
ad se requirit tuendam an que suis se viribus sustinet.
Set quid ego de me loquor qui morum ac temporum vitio
aliquantum etiam ipse fortasse in huius seculi errore ver-
sor. M'. Manilius patrum nostrorum memoria ne semper
Curios et Luscinos loquamur pauper tandem fuit. Ha-
buit enim ediculas in Carinis et fundum in Lavicano.
Nos igitur divitiores qui plura habemus. Utinam quidem. set non
estimatione census verum victu atque cultu terminatur pecu-
nie modus. Non esse cupidum pecunia est. non esse
emacem vectigal est. Contentum vero rebus suis esse
maxime sunt certissimeque divitie. Etenim si isti callidi
estimatores rerum prata et areas quasdam magno

Despicit pe

q. heredes ... voluit ...

l. putet at

Laurentum ... lapi...

existimant. Quod genus possessionis minime quantum est; neque naufragio neque incendio amittitur. Quanti est estimanda virtus que nec eripi nec subripi potest, nec tempestatum nec temporum permutatione mutatur. Qua praediti qui sunt, soli sunt divites; soli enim possident res et fructuosas et sempiternas, solique, quod est proprium divitiarum, contenti sunt rebus suis. Satis esse putant quod est; nihil appetunt, nulla re egent, nihil sibi deesse sentiunt, nihil requirunt. Improbi autem et avari, quod incertas atque in casu positas possessiones habent et plus semper appetunt, nec eorum quisquam adhuc inventus est cui quod haberet esset satis, non modo non copiosi ac divites, sed etiam inopes ac pauperes existimandi sunt.

Dixit

Incipit Tullius [illegible] inopes [illegible]